

DE IURISDICTIONE ECCLESIE

istica contentiosa. Cap. .I.



NTE ANNOS NON ADMODUM multos, reformationem iurisdictionis nostræ ecclesiasticæ ædi curauimus, per quam ita temperata ac moderata omnia speramus, vt nemo de ea, iure queri possit.

Excommunicationis origo & præcipuus vsus. Cap. II.

NE autem quispiam excommunicationis ecclesiasticæ originem ignoret, Primus excommunicationis in ecclesia vsus, qualis fuerit, Paulus primæ ad Corinth. v. manifeste ostendit, vbi Corinthium publice cum nouerca fornicantem tradit Satanæ in interitum carnis, vt spiritus eius salus fieret in die domini nostri Iesu Christi. Non tantum exemplo indicans, sed & expressim iubens, vt qui eiusmodi sunt, e medio ecclesiæ eiciantur. Si is (inquit) qui frater nominatur, inter vos est fornicator, aut auarus, aut idolis seruans, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere permitto. Quin ante discipulum, ille qui solus vere magister est Christus, e eiusmodi excommunicationis vsus Matthæi. xviij. docuit. Quem optamus in ecclesiam reuocari ac frequentissimum esse, Nempe vt tales publice ac enormiter peccantes, ne alijs offendiculo sint, & notati tandem respiciant extra communionem sacramentorum ac vitæ communis ponantur, donec ad cor & ecclesiæ gremium reuersi, suum reatum deplorent. Diuus sane Paulus grauissime Corinthios increpat, quod incæstum illum tantisper paterentur. Omnino (inquit) auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt uxorem patris sui quis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate ergo vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi, & cætera quæ sequuntur. Quod si denuntiationem euangelicam (qua nulla res salubrior esse potest, & quæ nobis non tantum facienda suadet, sed præcipitur) frequentarem, & apostolica præcepta mordicus teneremus, rariores profecto in cœtu nostro haberemus adulteros, raptores, homicidas, & id genus alios publice criminalios, propter quos blasphematur nomen nostrum inter gentes & scandalizantur multi inter nos infirmiores.

1. Corin. 5

Ibidem.

Matth. 18

1. Corin. 5

Matth. 18

Esaïa. 52

Roma. 2

Cur passim in omnes inobedientes excommunicationis censura distringi cœperit. Cap. III.

I iij Iamdu